



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX:|| DE  
CANONICA ET MO-||nastica Disciplina collapsa  
restau-||randa, pristinoqué nitori || restituenda.||**

**Schulting, Cornelius**

**Coloniae Agrippinae, 1599**

**VD16 ZV 14233**

4. De disciplina Cluniacensium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](#)

476 DE DISCIP. ECCLES.  
li tanquam ligna curuata & inflexa ut Protago-  
ras apud Platonem ait, vi & minis suppliciorum  
corriguntur, & ad spiritualis aedificarij usum a-  
ptantur, & accommodantur sic Franciscus Tur-  
rianus, lib. i. pro Canonibus Apostolorum. ca. 27.  
folio 132. Pessimus abusus Disciplinæ est colare  
culicem & deglutire camelum. i. parua emenda-  
re & magna negligere & coruis dare veniam, &  
per seueram censuram vexare columbas. Diffi-  
liorem autem esse correctionem sui ipsius quam  
alterius docet pulchre Stobæus in Sententij. fol.  
113. 582. Egregium documentum & adiumentum  
Disciplinæ præscribit. s. Arsenius apud Socratē  
li. 4. c. 23. hi Roriz Ecclesiastice. Adulti separandi  
sunt, ex quo dolore facile resipiscunt, iuuenis ve-  
tò si separetur efficitur Disciplinæ contemptor.  
Hieronymus in epistola quadam ait difficile esse  
correctionem, ubi male assueneris, vel ubi mores  
in malam consuetudinem & habitum abierunt,  
ibi enim ut Plautus loquitur mali mores Disci-  
plinam & ipsam virtutem in potestatem redege-  
runt suam vide Prateolum in oratione 1. de cau-  
sis calamitatium Ecclesie in principio.

#### C A P. I V.

De Disciplina Cluniacensium ex MS. Codice Sieberge inven-  
to de Ordine & constitutionibus eorundem libro

De Discipli-  
næ Monasti-  
cæ obseruan-  
tiæ vide in  
Prato Spirio  
tuali ciuitat  
Horatius  
fol. 317. b. à  
Principio.

3. cap. 3. & 4.

P Oena eius, qui incidit in grauiorem culpæ est  
eiusmodi. Frater, qui taliter incurrerit lap-  
sum venturus in Capitulum 1. pedes nudat, capi-  
tium quoq; stamnij, sui dextra leuaq; incisione la-  
xatur, ut possit brachia extrahere, & stamineum  
cum

cum manicis circa sœmoralia ligare, accipit vir-  
garum manipulū manu dextra, & in leua cucul-  
lam decenti cōplicatione pendentem. vnius enim  
frater ad hoc destinatus antecedit ita veniens ad  
conspectum domini Abbatis, virgis cucullæq; an-  
te se positis veniam petit, iussus ut surgat sedet  
ad terram & cuculla super genua, verberantur  
quantum visum fuerit Abbat; posthæc iubet cū  
exire ad induendum, rediēs rursus se prosternit;  
cum à domino Abbat; audierit, mandatum ab-  
eundi, protinus caput flectit, capellum induit, ad  
designatum talibus locum tendit, ibi manet, ibi  
commedit ibi dormit, quando quomodo & quā-  
tum præcipit Dominus Abbas. Ad omnes horas  
propè ostium Ecclesiæ stat capellatus, donec ca-  
nere incipit conuentus, tunc Capello abstracto  
solo tenus, se prosternit, nec leuat se, donec sit ho-  
ra finita. & si fratres debet exire, vsq; dum omnes  
potuerint exisse, & cum intrauerint Cap. tunc et-  
iam similiter se prosternit, & postea ad familiarē  
mansiunculam recedit. Ad ambas Missas manet  
in angulo Capituli, qui Capitulo proximus ad-  
hæret, nullus ei loquitur, nec etiam ille, qui ei mi-  
nistrat, cibus non benedicitur, qui ei perfertur, de  
industria tantum dominus Abbas iubet aliquos  
seniores ad eum accedere, qui eum exhortetur, vt  
quicquid ei temporalis correptionis fuerit irro-  
gatum, totū id habeat gratum, vt diuinæ clemen-  
tiæ possit reconciliari. Cū visum fuerit con-  
cordat etiam cum eisdem senioribus, vt pro ip-  
so reo, pro eius absolutione in Capitulo veniam  
petant, maximè si verè sunt experti pœnitent-

*clumacēses  
esse Bene-  
dictinos col-  
li: pogitur  
ex Trithe-  
nio libr. 1. de  
viris Illu-  
stribus orde-  
nis Benedic-  
tianis  
et cap. 9.*

tiam & testari possunt, quod pro reatu suo spiritum habeat contribulatum, cor contritum & humiliatum, annuit communī cōsensu fratrum, ut faciat pro illo misericordiam & mittatur pro eo, nūdat se eodem modo, quo prius, & cum veniens vapulauerit Domino Abate iubente, induit cucullam, ad cuius pedes & pedes vniuersorum à maximo usque ad minimum singulariter iterato petit veniam, iubetur exire ad induendū, induitus & reuersus iterum veniam petit, iubetur, ut ultimus sedeat, ultimus sit cunctorum in omni loco, interim non communicet, non veniat ad pacem, non osculetur textum Euangelij in Ecclesia, nec ad Lectionem, nec ad Cantum, ut alij veniat, solum in coquina locum habeat ut seruiat, & ad mandatum in die Coenæ domini ire prohibetur, post singulas horas finitas veniam iterum super genua petit, nec tātum propter hoc ad altare conuersus, si quando vniuersi, albis vestimentis propter aliquam festiuitatem vel processionem, vestiuntur tunc & ipse vestitur, sed nigris ad extrellum si Dominus Abbas id viderit expedire, talesque eius esse humilitatem, quād mereatur, interpellatus à fratribus in Capitulo, vocat eum ut surgat & in medium prodeat, quo petente reddit illi locum pristinum, ne amplius ullam ab alijs patiatur separationem, vadit ad pedes, sicuti quilibet alius tam in Ecclesia quam in Capitulo, siquidem eum ad altiorem locum promouerit. Ca. 4.1.3. ibidē in dicto MS. Codice.

Sunt autem apud nos adhuc alia genera correctionis, quæ non solum Dominus Abbas facit, sed etiam

etiam si opus fuerit, D. Prior. Si quis dealiquo flagitio diuulgatur in populo in præsentia quoque populi solet emendari, ut qui excessum cognoverunt, cognoscant etiam emendationem. Cunctis enim, qui videre voluerint, videntib. & maximè in medie platea nudatur, ligatur & verberatur. At si culpa non est de grauioribus malis, vt si cum aliquo dishoneste, & irreligiosè in audiencia popularium contenderit, pro huiusmodi, cù venerit dies Dominica, ad initium Missæ Matutinæ concurrente populo ad Ecclesiā stet ipse nudis pedibus prope fores Ecclesiæ, & vnum Codicem grandiusculum teneat in manibus. Capellum enim induit ut ab omnibus possit agnosciri, nemini loquitur intranci licet vel exeunti unus famulus semper est iuxta illum qui dicat interrogantibus, quare ei sic talis poenitentia iniuncta, nec inde recedit donec Missa finiatur, quod si inobedientes & rebelles aliqui fuerint, fratres ex more eum exspectant, vt præcipiatur comprehendendi, sic ipsi vltro continuò irruentes comprehendunt & cum fuerit comprehensus, faciūt quod iustum fuerit, mittentes eum in carcerem. Carcer erit talis, in quem cum scala descenditur, nec ostium, nec fenestram habeat, nec in dormitorium ascendere possit inclusus. Quod si ipse quidem est inobediens, inobedientiam suam foris Capitulum aliquomodo monstrauerit, statim tabula percutitur, vt ad Capitulum conueniatur, potuit & tale quid adeò præsumptuosè loqui in Domini Abbatis præsentia vel etiam Prioris ut propter hoc, nō minus tabula percutiatur, quod est signum conueniendi.

CAP.